AD QVODLIBETARIAM.

QVAESTIO MEDICA MATVTINIS AGITANDA DISPVTATIONIBVS IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XIV. IANVARII MAGISTRO NICOLAO REGNIER DOCTORE MEDICO MODERATORE.

607.

An à corde Iuuentus?

HOMO Proteus, & Iuno in omnia ſe vertens, naturæ δημιούργημα, medium animantium & qualitatũ duplici cœlitùs inſtructus eſt parte; anima primùm viuente, ſentiente, intelligente, numero & re eadem, propter tamen eſſentiam diuerſa, numquã generata, nunquam corrũpendâ, diuina, res penitus omnes ſpritali complexa modo, materię ad obeundas functiones minimè alligata: deinde corpore, immortalis mortali domicilio mentis, iuſto, optimè ad optimas actiones temperato, ſolo inter omnia recto, ſupero, & infero, cœleſtes & elementorum ſubſiſtentes actu continente formas; cui licet nihil deſit, nihil ſuperſit, & plus morborum quam aliis animantibus adſit, æqualis tamen cum parentum ætate, iuuentutis & longęuitatis cauſa perſeuerat, non niſi alicui præcipuę adſcribenda parti.

PARTES corporis licet variè diſcriminarit, compoſitè diſtinxerit, Medica prudenſque natura; in connatas nimirùm vt aures, poſtgenitas vt dentes, acceſſorias vt artus; à primo perfectas ortu, ſtapedem, incudem, malleum; poſtremò abſoluendos oculos; in neceſſarias indiuiduo, ventriculum: ſpeciei, teſt[illegible]; in deſtinatas ornatui, myſtacem: in parergas, axillares pilos; in partes corporis vt purè ex elemẽtis mixtas; viuentis, pulmones; ſentientis, cerebellum; rationi inſeruientes, ſpiritus animales, manum: in ὁμειομερεῖς πρωτογόνας vt oſſa carnem; ἑτερογενέας venas, pedes. Primas tamen Organicarum ob diuiniorum præſtantiam actionum, ſummamque neceſſitatem, cor, cerebrum, hepar, mira ad vnum vitæ opus conſpiratione, confluxu, cognatione, conſentientes, ſolas corporis reipublicæ præpoſitas, facultatum, ſpirituum, materiæ, liberaliſſimas eſſe voluit effectrices.

PRIMOGENITVM hepar, venarum radix, naturalis ſpiritus author, qui veriùs τῆς τροφῆς ὄχημα quàm ſerum, grati fons ſanguinis, quem̃ ex chylo confectũ per venas cæteris partibus alendis vtiliter diſtribuit, ſi ea, quibus inquinatur excrementa priùs ſecernantur; quorum ſuppreſſione illius primùm vt vitium ſic cæterorum oppreſſio, obſtructionis, ſcirrhi, cachexiæ, hydropis, aliorumque ſymptomatum fœtura, plura tamen cerebro; quod poſtremum natu, Palladis eſt Acropolis, neruorum cordi famulãtium origo, in homine ampliſſimum & excelſiſſimum. Hinc vt in ſublimi & ſpacioſo aëre pluriũ crebrior eſt prouentus meteororum: ſic in excelſo latiuſque patenti hominis cerebro irrequieta frequentium eſt officina morborum; illic enim ferociunt in menyngibus cephalalgia, cephalæa, & hemicrania; in illius ſubſtantia ſtabulantur phrenitis, melancholia, mania; in ductibus mordicus hęrent ſopor, conuulſio, paralyſis; quæ licet morborum monſtra cerebri poſſint oppugnare capitolium, non tamen ita repente cor euertunt ætatum omnium arcem.

ÆTAS tam in animantibus quam vita deſtitutis calidi humidique congeniti mutatio ingens & neceſſaria, triplex eſt, creſcẽs, ſtata, decreſcens, magni ad exemplar mundi; vel ad anni elementorumque partes inſtituta quadruplex, pueritia veri & aëri analoga, iuuentus æſtati & igni, autũno & aquę conſtans, hyemi & terræ ſimillima ſeneſcens; vel ſeptuplex à ſeptenario planetarum in ætates dominantiũ numero, aut à ſeptem annorum enneadibus deſcribenda. Iuuentus reliquarũ decor, mediũ, flos, & regina, agilis & ferociẽs (licet temperatiſſima) bonis moribus, menti venerique exercendæ aptiſſima, hyſtericis & pallido ſuffuſis colore virginibus curandis optatum & tutum antidotum, perpetuò futura, ſi calor primigenius merè foret cœleſtis, diutius perſeuerat in eminentiorum locorum incolis calidarumque plagarum, in ſanguineis quam aliter temperatis, viris quam fœminis: canitiem, caluitiem, laxitatem dentium, & tremorem (authore corde) longè propelleret, ſi tot ſanguinis ſpuitionibus, epilepticis inſultibus, febribus acutiſſimis & tabificis minus corriperetur.

COR primum viuens, vnicus omnium dictator partium, medium medij, centrumque & incola thoracis, articulis diſtinctiſſimi, vltimum moriẽs, finiſque mammarum & reſpirationis, ſemen vitę & ignis in ſiniſtro ſpecu innati (cuius figurã pyramide refert) vigoris & viuacitatis omnis cuſtos validiſſimus, magni paruus homo hominis, in quo conſpicua ſunt caput, aures, oſcula, ventres, inſtarque pulmonũ folles; defœcati limpidiſſima ſcaturigo ſanguinis, paradiſus quatuor fluminum, viuificum nectar calore & ſpiritu vitali conflatum aſſiduò in vniuerſum corpus effundentium, ſuauiſſimus pulſuũ harmonicorum muſicus, quorum continua motione cuncta reficiuntur, conſeruantur & vigent, ſol mundi humani: primus motor & quaſi Deus, omnibus opem ferens, omnibus condolens, maximum in homine eſt: ſi tamen ſolitò maius, timiditatis & parui index erit cerebri, cuius non eſt indigum: ſi inflammetur, ſi tumore prematur, ſi venenata contaminetur aura, ſi peſtilenti affletur halitu, ſi exſiccetur, præceps virium, ætatum, viuacitatis, iuuentutis, & vitæ impendet, lapſus, interitus, ruina.

Ergo à corde Iuuentus.

Aſſerebat Lutetiæ Pariſiorum FRANCISCVS DES FRANCOIS Velaunus A.R.S.H.M.DC.XXI.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Ioannes Maunoir.
M. Claudius Geruais
M. Franciſcus Guenault.
M. Joannes Merlet. M.R.
M. Gabriel Ardouyn de S. Iacques Decanus.
M. Michael de la Vigne.
M. Iacobus Lætus.
M. Ioannes Riolan M.R.
M. Andreas le Gros.